

22^a Novembr. An. 1439. editum suscipere, et jurata obedientia unionem firmarent. Eadem ratione actum cum reliquis, et in solemnibus Sessionibus concilio data est: Jacobitis quidem ab Imperatore Æthiopiæ et Abbate Hierosolymæ missis 5^a Febr. An. 1441; Syris et Mesopotamiis a Patriarcha suo Legatis 30^a Sept. An. 1444; Chaldæis ex Cypro insula et Maronitis a Libano monte venientibus 26^a Julii An. 1445.

III. Ex quinque unionum decretis, monumenta duorum primorum, tanquam celebriorum et usui plus servientium, subjicimus: ex priori quidem definitionis verba, ex posteriori statutorum synopsis.

Definitio Concilii seu decretum unionis cum Græcis in definitione sic habet: *Definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suamque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter est genitus. Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item, si vere pœnitentes in charitate Dei decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari: et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta: Illorumque animas qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exuta corporibus, prout superius dictum est, sunt purgata, in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item definimus sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Pa-*

triarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et juribus eorum.

Decretum unionis cum Armenis seu instructio pro iisdem hæc continet. Præmissa gestorum narratione: 1. datur symbolum Concilii Constantinopolitani I cum additione vocis *Filioque*, singulis saltem Dominicis et festivitatibus majoribus in Ecclesia usurpandum: 2. definitio Concilii Chalcedonensis in V et VI Synodo renovata, de duabus naturis in una Christi persona: 3. definitio Concilii sexti de duabus Christi voluntatibus et operationibus. 4. Injungitur susceptio Synodi Chalcedonensis cum reliquis omnibus auctoritate Romani Pontificis legitime celebratis. 5. Traditur doctrina de Sacramentis: eorum scilicet esse septem: differre ab antiquis, quod ipsa causent gratiam: priora quinque ad spiritualem cujusque perfectionem, postrema ad Ecclesiæ regimen et multiplicationem ordinari, explicato cujuslibet effectus: omnia perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; horum trium si aliquod desit, Sacramentum non perfici: *BAPTISMUM* esse primum et ad salutem necessarium; ejus materiam esse aquam veram ac naturalem; formam, *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*; valere etiam formam Græcorum; ministrum ordinarium Sacerdotem, in casu necessitatis quemlibet, tria ad Sacramentum perficiendum spectantia servantem, effectum remissionem omnis culpæ et pœnæ. *CONFIRMATIONEM* esse alterum; ejus materiam chrisma ex oleo et balsamo confectum, ab Episcopo benedictum; formam, *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, etc*; ministrum ordinarium Episcopum, aliquando tamen ex Apostolicæ sedis dispensatione simplicem Sacerdotem, sed chrismate per Episcopum benedicto utentem; effectum, robur Spiritus Sancti ad confitendum Christi nomen. *EUCCHARISTIAM* esse tertium; ejus materiam panem triticeum, et vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet ob rationes plures allatas; formam verba Salvatoris, in cujus persona Sacerdos hoc Sacramentum conficit; virtute verborum substantiam panis in corpus, et vini in sanguinem Christi converti; Christum totum sub specie panis, et totum sub specie vini, et totum sub qualibet parte panis et vini consecrati, separatione facta, esse; effectum, unionem cum Christo per augmentum gratiæ, omnemque ad vitam spiritualem, quem cibus et potus materialis ad corporalem præstat. *POENITENTIAM* esse quartum; ejus quasi materiam tres actus pœnitentiæ, cordis contritionem, oris confessionem et satisfactionem a Sacerdote impositam; formam verba absolutionis, *Ego te absolvo etc*; ministrum sacerdotem auctoritate absolvendi vel ordinaria vel ex commissione superioris pollentem; effectum, absolutionem a peccatis. *EXTREMA UNCTIONEM* esse quintum; ejus materiam oleum olivæ ab Episcopo benedictum; conferendum tantum infirmo, cui mors timetur, unguendo in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus et renibus; formam, *per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum etc*; ministrum sacerdotem; effectum, sanationem mentis, et in quantum expedit, etiam corporis, juxta Jacobi cap. 5. pro-

mulgationem. *ORDINEM* esse *sectum*; ejus materiam id per cujus traditionem confertur ordo: ut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus per dationem libri Evangeliorum, Subdiaconatus per traditionem calicis vacui cum patena vacua imposita, et sic alii ordines per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem; formam Sacerdotii, *accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris etc.*; aliorum ordinum juxta Pontificale Romanum; ministrum ordinarium, Episcopum; effectum, augmentum gratiæ ad digne exercenda sacra ministeria. *MATRIMONIUM* esse *septimum* et signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; causam efficientem, regulariter mutuum consensum per verba de presenti expressum; bonum triplex, nempe prolem suscipiendam et educandam ad Dei cultum, fidem conjugum mutuam, indivisibilitatem matrimonii; separationem thori licere ob fornicationem, non autem solutionem vinculi. 6. Traditur compendiosa fidei regula per Athanasium edita, quæ incipit: *Quicumque vult salvus esse.* 7. Datur Decretum unionis cum Græcis inita, cujus definitionem supra excerpimus. 8. Ad conformitatem habendam decernitur, festa apud Armenos eodem die, quo apud Latinos et Græcos celebrantur, celebranda. Postremo adnotatur hujus decreti receptio et unio ab Armenis facta.

Ex decreto unionis cum Jacobitis id unum notamus, illi insertum esse canonem librorum sacræ Scripturæ, qualis postmodum etiam in Tridentino est statutus.

OECUMENICUM XVII. LATERANENSE V.

I. Orto inter JULIUM II. Rom. Pontificem et LUDOVICUM XII. Regem Christianissimum dissidio ac bello, novem Cardinales a JULIO secessione facta, quod fidem de Synodo congreganda datam non liberaret, MAXIMILIANI Imper. et LUDOVICI Regis auctoritate fulti, Conc. œcumenicum, ut aiebant, *Pisis* celebrandum indixerunt, primamque illius Sessionem 5 Novembr. An. 1511. celebrarunt. Pro *Pisano* hoc conciliabulo (quod postea Mediolanum, Taurinum ac Lugdunum est translatum) efficacius destruendo, Synodum œcumenicam JULIUS indixit, additis in diplomate causis, ad schismatis extinctionem, Ecclesiæ reformationem, Christianorum Principum concordiam et pacem, atque expeditionem contra Turcas promovendam. Ex convocatis undique Præsulibus, adfuerunt pauci supra centum, illique fere tantum Itali, Præter Principum oratores et Abbates multos ac septem Generales ordinum. Præsedit quatuor Sessionibus primis JULIUS II.; quintæ RAPHAEL Cardinalis Ostiensis, reliquis LEO X. Pontifex Julio mortuo successus; bello et schismate conventum infrequentem, animorum distractione et postulatum insolentia Sessiones raras et a se divulsas faciente. Collectum autem est Concilium Romæ in *Lateranensi* Basilica, inchoatum 10 Maii An. 1512, finitum 13 Martii An. 1517.

Præterimus in narratione non tantum Sessionem præambulam et Concilii præparatoriam, sed et Legatorum adventus et mandata, orationum habitaram auctores et materias, Sessionum indictiones et prorogationes, cum cæremoniis et solemnitatibus, quæ magnam quidem Actorum partem Theologo tamen haud necessariam faciunt.

Sess. 1^a. Exponuntur causæ Concilii tum jam collecti, tum hactenus di-

lati: lecto II. Conc. Toletani, canone de observandis in Synodo, nominantur Concilii præsentis officiales. 2^a. Damnatur conciliabulum *Pisanum*, irritatis illius actis: *Lateranense* Concilium declaratur legitimum et confirmatur. 3^a. Imperator per Legatum renuntiat Pisano et adhæret Lateranensi: renovatur sententia contra Pisanos, Gallia illis adhærens interdicto subjicitur. 4^a. Tractatur de sanctione pragmatica Gallicana: de ea abroganda, leguntur litteræ a LUDOVICO XI. olim ad PIVM II. scriptæ, et a promotore Concilii afferuntur rationes: citantur Galli, si qui velint eam defendere. 5^a. Innovatur constitutio contra simoniacam Pontificis electionem: accusatur Pragmaticæ adhærentium contumacia. JULIO post hanc Sessionem mortuo, eligitur Pontifex Joannes Medicæus, LEO X. dictus. 6^a. Pontifex novus cohortatur ad continuandam Synodum, decernit salvum conductum evocatis ad Concilium, exceptis schismaticis. Post Sessionem fit divisio Deputatorum ad diversa negotia. 7^a. Cardinales Bernardinus Carvalliis et Fridericus de S. Severino, oblato libello, renuntiant Pisano, veniam rogant et accipiunt. 8^a. Galli petunt prorogationem termini; accusantur officiales Provinciæ de læsione jurisdictionis Papalis, et moventur: damnatur positio asserens animam intellectivam esse mortalem, aut unicam in cunctis hominibus, saltem secundum Philosophiam: constituuntur canones, promulgandi in initio studiorum, et observandi ab Universitatibus: proponitur de pace inter Principes Christianos componenda, et reducendis Bohemis ad fidem. 9^a. Accusatur contumacia Antistitum Gallorum; eorum absentia vicissim excusatur ob negatum transitum, ideoque Pontifex prorogat veniendi terminum: Editur bulla reformationis Cardinalium aliorumque Prælatorum; item Clericorum et Religiosorum, tam intra quam extra Curiam Romanam cui inserta est constitutio contra blasphemos. 10^a. Approbantur montes pietatis, eorum impugnatores compescuntur: Exemptorum libertas restringitur, Episcoporum auctoritas profertur, illisque prima instantia causarum beneficialium datur: libri typis edendi subjiciuntur censuræ Ordinarii vel Inquisitoris. 11^a. Ordinatur de prædicationis et prædicatorum sacrorum conditionibus: Concordata Pontificis et Regis Galliæ promulgantur: abrogatur Sanctio pragmatica: asseritur Pontificis auctoritas, et Concilia indicendi, transferendi ac dissolvendi plena potestas: Religiosorum privilegia dignitati Episcoporum attemperantur. 12^a. Cardinalium indemnitati consulitur: Decimæ Ecclesiasticæ per triennium contra Turcas decernuntur: confirmantur Concilii acta, finisque imponitur.

III. Celebrius hujus Concilii monumentum est *Concordatum*, Sanctioni pragmaticæ suffectum. Erat hæc collectio 38 decretorum, quæ Conc. Basileense circa Rom. Pontificis jura et privilegia, Conciliorum auctoritatem ac tempus, Prælatorum electiones, beneficiorum collationes et reservationes, beneficiorum qualitates et officia, judiciorum et appellationum Ecclesiasticarum usum ac modum aliaque disciplinæ ac morum capita, vario sub statu ac diversis in Sessionibus ediderat; Rex autem Franciæ CAROLUS VII in Conventu Bituricensi A. 1438. celebrato recepta Sanctione pragmatica firmavit, et in Senatu Parisiensi promulgavit. Eamdem equidem, tanquam opus tempore seditionis et schismatis ad infringendam sedis Apostolicæ auctoritatem confectum, A. 1462. LUDOVICUS XI. Caroli successor resciderat: Galli tamen eam, tanquam rationibus suis proficuum, subin restaurarunt; donec inter FRANCISCUM I. et LEONEM X. Bononiæ conveniret, sanctione

abrogata, Concordatum novum substituere. In eo omnia sunt quæ contra Pontificis jura et pro Conciliorum auctoritate facièbant; retenta quæ mores et disciplinam, judicia et appellationes spectabant; nonnihil alterata, quæ pro graduatis ad beneficia promovendis statuèbantur; immutata autem dignitatum Ecclesiasticarum ratio. Sublata enim electione, concessum Regi jus nominandi Episcopos, Abbates, aliosque Prælatos, exceptis tamen Ecclesiis speciali electionis privilegio a sede Apostolica dato gaudentibus; modusque circa tempus et conditiones nominandi præscriptus: e contrario reservationibus et expectativis sublatis, Pontifici conservata est nominatorum confirmatio, vacantium apud sanctam Sedem provisio, et Annatarum perceptio; cujus Concordati instrumentum integrum 48 titulos, dispositio 49 articulos, vis rationem veri contractus continet. Solemnis hæc conventio, utraque potestate stabilita, a Clero et Parlamento Gallicano nonnunquam lacessita, quin nec a successoribus Galliarum Regibus integra semper relicta fuit. Ultra etiam Sanctionis pragmaticæ antiquatæ limites Ludovicus XIV. est progressus, ubi cum INNOCENTIO XI. collisus A. 1675. beneficiorum Ecclesiasticorum collationem ac perceptionem fructuum ex beneficiis vacantibus, tanquam jus Regale et majestaticum usurpare, contendit; ex quo magna illæ Regaliarum controversiæ ortum duxerunt: sed his tandem sopitis, restituta in integrum sunt Concordata; agnatum jus nominandi, tanquam concessum a potestate Ecclesiastica privilegium; Annatæ Pontifici permissæ.

OECUMENICUM XVIII. TRIDENTINUM.

I. Tres potissimum Concilii causas in convectionis diplomate expressit summus Pontifex: *fidem* scilicet vindicandam adversus Sectariorum tum grassantes errores; firmandam *pacem* inter Principes partim *religionis* studio, partim *regionis* ambitu distractos, restituendam Cleri populique *disciplinam*, hæresibus et bellis plurimum labefactatam. His omnibus originem dedit ex INDULGENTIARUM solo enata, per omnia dein fidei capita multiplicatis erroribus diffusa LUTHERI hæresis; quam cum refutassent Catholici Doctores, reprobassent Universitates, Pontifices damnassent, Imperator et Status proscrispissent Imperio, sed eventu propterea frustrato quod Urbes Principesque Germaniæ plures personæ LUTHERI ac dogmati faventes aut addicti, solum pro iudice Concilium generale admittere vellent: de eo tandem habendo cogitatum est.

Igitur de convocando Concilio A. 1533. inter CLEMENTEM VII. Papam et CAROLUM V. Imperatorem Bononiæ primum convenit in certas conditiones: sed alias postulantis Lutheranis et mortuo Pontifice, ultra consilia negotium non est progressum. Eisdem curas cum Pontificatu PAULUS III. suscipiens, deputatis interim ad corrigendos abusus quibusdam Cardinalibus, A. 1536. concilium indixit Mantuam: objecto autem obice a Mantuano Duce, Vicentiæ demum celebrandum A. 1538. decrevit: sed nova rursus emergente difficultate prorogata est Synodus; tandemque A. 1542. indicta TRIDENTUM. triennium tamen intercessit, donec composita Casarem inter et Regem Franciæ pace Crespiaca, et fallaci Lutheranorum tergiversatione perspecta, sub finem A. 1545. initium fieri posset. Confluxere præter plures Doctores et sex Ordinum Generales, primum viginti novem, dein quinquaginta quinque

Patres, quibus Præsides dati sunt a Pontifice Legati Joannes Maria de Monte, Marcellus Cervinus et Reginaldus Polus Cardinales. Tridenti in Ecclesia Cathedrali habitæ Sessiones octo, principio die 13 Decembr. A. 1545, translationis decreto ob contagiosum morbum, die 11 Martii A. 1547, facto. Migrantibus hinc Bononiam pluribus, aliis Tridenti perstantibus, a prioribus quidem eodem anno Sessiones duæ sunt celebratæ, sed quæ præter Concilii prorogationem nihil fere decernerent: donec impedimentis novis ex formula *Interim* enatis, Concilium fere per quadriennium suspenderetur.

Concilii continuationem Tridenti repetendam A. 1550. indixit Joannes Maria de Monte, post Pauli fata Pontifex electus, et JULIUS III. dictus; qui Legatus antea Pontificius, pro Concilio Bononiæ retinendo immotus steterat. Ejus vice præfuerunt Marcellus Cervinus Cardinalis, Sebastianus Pighius Archiepiscopus Sipontinus, et Aloysius Lippomanus Episcopus Veronensis, numero Patrum jam aucto. Sessiones ab his sex, decimam sequentes, sunt celebratæ; ita ut prior 4 Maii A. 1551, posterior 28 Apr. A. 1552. fieret: in qua ob bella et perturbationes in Germania subortas, propiusque Tridentum accedentes, altera Concilii suspensio ad biennium fuit decreta: quæ tamen, iisdem causis urgentibus, et JULI III. addita etiam morte cum successorum gemino fato, decennium prope integrum tenuit.

Post interruptionem alteram, secundo et feliciter instauravit in eodem loco Concilium Pius IV, interea summus Pontifex creatus. Continuationis bullam is quidem A. 1560. promulgavit; nonnisi tamen anno altero ordiri Sessiones licuit: quæ novem numero celebratis, finis tandem Concilio est impositus. In postrema hac epocha, Pontificis nomine præsidebant Hercules de Mantua, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Warmiensis et Ludovicus Simonetta, Cardinales; subscripserunt autem Concilio et decretis Patres 233, Cardinales scilicet 6, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 23, Episcopi 168, Procuratores Episcoporum absentium 39, Abbates 7, et Religiosorum Ordinum Generales totidem: epocham hanc 18 Januar. A. 1562, ordiente, 4 Decembris A. 1563 finiente. Coronidem tot annorum negotio imposuit Pius IV. edita 26 Januar. A. 1564. Concilii confirmatione, cui complementum dedit proposita ab eodem et anno eodem juxta Concilii mentem forma Professionis fidei scripta.

II. Pangenda foret plurimorum negotiorum historia, si vel Actorum per quadriennium, quod Tridentina synodus simul collecta implevit, omnium notitiam dare susciperemus. Quare omissis congregationibus privatis, consultationibus et disputationibus præparatoriis, sessiones dumtaxat publicas referemus, decretis quidem ad doctrinam pertinentibus, una cum canonibus anathematismos continentibus, in sessionum epitome breviter recensitis, decretis autem reformationem spectantibus, utpote alias sub canonum nomine postremo loco referri solitis, ad classem monumentorum Conciliariorum sepositis.

Sessio. 1^a. Post solemnia præmissa legitur Indictionis bulla, convectionis causas exhibens: decernitur inchoatio Concilii: fit cohortatio Patrum. 2^a. Editur decretum de modo vivendi, cæterisque in Concilio servandis, conformiter ad statuta synodi Toletanæ. 3^a. Edicitur de symbolo fidei, et Nicænum proponitur, dilatis interim fidei et morum sanctionibus, donec frequentior fieret conventus.

Sess. 4^a Duo Decreta promulgantur. 1^{um} de Canonis Scripturis admittit

et veneratur sacras Scripturas tum Veteris tum Novi Testamenti, nec non Traditiones ad fidem vel mores pertinentes, tanquam a Christo vel Spiritu sancto dictatas, in Ecclesia continua successione conservatas: statuit ac refert catalogum librorum sacrorum, in vulgata extantem: anathema fert in eos qui hos libros ut sacros non suscipiunt, aut traditiones prædictas contemnunt. 2^{um} de editione et usu sacrorum librorum, versionem vulgatam declarat authenticam: prohibet Scripturæ interpretationem contra sensum Ecclesiæ aut unanimum Patrum consensum; impressionem librorum sacrorum, vel de sacris, sine facultate Ordinarii et nomine auctoris; item verborum S. Scripturæ abusum ad facetias, jocos, incantationes et similia.

Sess. 5^a. Publicatur decretum de peccato originali: In eo, more anathematismi, definitur: 1. Adamum peccando amisisse sanctitatem et justitiam; incurrisse iram Dei, et hinc mortem; secundum corpus et animam in deterius mutatum: 2. Adamum non sibi solum, sed suæ etiam propagini secundum corpus et animam nocuisse: 3. Ejusdem peccatum, origine unicum, propagatione transfusum omnibus, inesse cuilibet proprium: tolli solum per merita Christi, per baptismum applicata: 4. Parvulos esse baptizandos, et propter originale peccatum egere baptismo: 5. Gratia Baptismi vere tolli quicquid propriam peccati rationem habet; et baptizatos fieri novos secundum Deum homines: in iis tamen manere concupiscentiam ad agonem; quæ, quamvis peccatum vocetur, verum tamen ac proprium non sit. Subjungitur, Concilii intentionem non esse, hoc decreto comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, sed observandas SIXTI IV. ea de re constitutiones. Additur aliud decretum de reformatione duo capita complectens.

Sess. 6^a. Proponitur decretum de Justificatione: de ea aliter credere, prædicare aut docere non liceat, quam sequenti ratione: 1. A servitute peccati ad justificationem perveniri non posse per vires naturæ aut litteram legis Mosaicæ, licet liberum arbitrium non sit extinctum, sed tantum attenuatum et inclinatum. 2. Ad hanc potentiam vero præstandam, Filium a Patre esse missum. 3. Per hujus merita, renati in Christo justificantur, sicut ex Adamo nati ejus injustitiam contrahunt: non omnes, sed ii quibus Christi meritum communicatur, mortis beneficium percipiunt. 4. Justificatio est translatio a statu injustitiæ in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei: hæc translatio prima nunc fieri nequit sine Baptismo aut ejus voto. 5. In adultis præparatio ad Justificationem fit per gratiam excitantem et adjutantem, sine qua ad justificationem movere se homo non possit, cum qua possit se disponere, eidem libere assentiendo et cooperando, quatenus ipse agit et gratiam abjicere potest. 6. Dispositio autem fit per fidem, timorem divinæ justitiæ, et spem, fidendo Deum propter Christum fore propitium, et incipiendo diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem; excitato propterea odio et detestatione contra peccatum, seu pœnitentia, et proposito suscipiendi baptismum servandique mandata. 7. Hanc dispositionem sequitur justificatio, quæ non est sola remissio peccatorum, sed sanctificatio per susceptionem gratiæ et donorum. Ejus causæ sunt: finalis, gloria Dei et Christi, ac vita æterna; efficiens, Deus; meritoria, Christus; instrumentalis, baptismus; formalis, justitia Dei, non qua ipse est justus, sed qua nos vere justos facit, justitiam in nobis recipientes secundum propriam dispositionem. Cum justitia nobis inhaerente simul infunditur fides, spes et charitas, sine quibus fides mortua

est. 8. Dicimur tamen justificari per fidem; quia fides est salutis initium, fundamentum et radix justificationis; sine qua impossibile est placere Deo: item justificari gratis; quia justificationis gratiam non meremur per nostram præparationem. 9. Nemo potest scire certitudine fidei seu infallibili, se gratiam Dei esse consecutum: neque hoc, ut quis justificetur, debet credere. 10. Augetur gratia justificans per bona opera et observantiam mandatorum. 11. Hæc observare justificatus potest ac debet: qui quamvis in levia et quotidiana peccata quandoque cadit, non desinit esse justus, nec in quolibet opere peccat: fides sola non sufficit. 12. Citra specialem revelationem nemo pro certo scit, an sit prædestinatus. 13. Similiter de perseverantiæ munere nemo polliceatur sibi aliquid certo absolute; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debeant. 14. Justificatio post baptismum lapsi fit per distinctum a baptismo Sacramentum pœnitentiæ: hæc præter cessationem a peccato et hujus detestationem continet confessionem, saltem in voto, absolutionem et satisfactionem per pietatis exercitia pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in baptismo, statim hic remittitur. 15. Per peccatum mortale quodcumque amittitur gratia justificationis, non tamen fides, nisi sit peccatum infidelitatis. 16. Justificatus exerceat opera bona: hæc per gratiam Christi facta, sunt meritoria vitæ æternæ, quæ tanquam merces et corona justitiæ a Deo illis est promissa. Nemo tamen in se ipso confidat aut glorietur, sed in Domino, cujus ea est bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

Decreto doctrinali adjecti sunt CANONES, grassantium tum hæreticorum erroribus oppositi. In his anathema dicitur illi, qui dixerit: 1. Absque gratia Christi posse justificari hominem: 2. Eum per gratiam tantum facilius posse juste vivere et mereri vitam æternam: 3. Sine gratia hominem posse credere, sperare, diligere aut pœnitere, prout oportet: 4. Liberum hominis arbitrium a Deo motum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, nec posse dissentire, si velit; sed nihil omnino agere, mereque passive se habere: 5. Post Adæ peccatum liberum arbitrium esse extinctum, et titulum sine re: 6. Deum proprie et per se, non permissive solum, operari malum, ut bonum: 7. Opera omnia, ante justificationem facta, vere esse peccata: 8. Gehennæ metum, ob quem peccata detestamur aut fugimus, esse peccatorum aut peccatores facere peiores: 9. Sola fide, sine alia voluntatis præparatione, impium justificari: 10. Sine Christi justitia, aut formaliter per eam nos justificari: 11. Justificari hominem vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia inhaerente, aut hanc esse tantum favorem Dei: 12. Fidem justificantem esse fiduciam misericordiæ divinæ, aut hanc solum justificare: 13. Ad obtinendam peccatorum remissionem opus esse, ut quis credat ea sibi esse remissa: 14. Justificationem constitui aut perfici per fidem, qua quis credat se esse justum: 15. Justum teneri ad credendum se esse prædestinatum: 16. Citra revelationem specialem promitti sibi absoluta certitudine posse perseverantiam finalem: 17. Gratiam justificationis non nisi prædestinatis contingere: 18. Dei præcepta justo sub gratia constituto esse impossibilia: 19. Præter fidem in Evangelio præceptam reliqua omnia esse indifferentia, nec Decalogum pertinere ad Christianos: 20. Evangelium esse nudam promissionem vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum Dei et Ecclesiæ: 21. Christum non esse legislatorem, cui sit

obediendum : 22. Justificatum sine speciali gratia perseverare posse, vel cum ea non posse : 23. Eundem amplius peccato gratiam amittere non posse; et hinc, qui labitur, ante justificatum non fuisse : aut justificatum omnia; etiam venialia, peccata vitare posse sine speciali privilegio, ut de B. Virgine tenet Ecclesia : 24. Non augeri justitiam per bona opera, sed hæc tantum esse signa aut fructus justitiæ acceptæ, non causas augendæ : 25. In quolibet opere hono peccari; peccatum autem tantum non imputari ad damnationem : 26. Non debere expectari aut sperari æternam retributionem pro bonis operibus, a justo in Deo factis. 27. Nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio gratiam amitti : 28. Amissa gratia simul amitti Fidem; vel Fidem remanentem non esse veram; vel cum ea sine charitate hominem non esse Christianum; 29. Qui post baptismum est lapsus, eum per gratiam non posse resurgere; vel posse quidem, sed absque pœnitentiæ Sacramento, solius vi Fidei : 30. Pœnitenti accepta justificationis gratia semper remitti omnem reatum, ut nulla pœna aut in hac aut in altera vita sit exsolvenda : 31. Peccare justum dum intuitu æternæ mercedis bene operatur : 32. Bona opera justi sic esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justi merita; aut justum per ea non mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et hujus, si in gratia decesserit, consecutionem et gloriæ augmentum : 33. Per hanc doctrinam de justificatione derogari meritis Christi. Accessit decretum de reformatione quinque capitibus constans.

Sess. 7^a. Conduntur Canones tum de Sacramentis universim, tum speciatim de Baptismi et Confirmationis Sacramento : His adjecta sunt quindecim capita in decreto de reformatione.

CANONES de Sacramentis universim anathema dicunt illi qui dixerit : 1. Sacramenta N. L. non fuisse omnia instituta a Christo; aut esse plura vel pauciora quam septem; aut aliquod a Concilio nominatorum non esse verum et proprium : 2. Illa non differre a V. L. Sacramentis, nisi quatenus sunt alii ritus aut cæremoniæ : 3. Nullum alio esse dignius : 4. Omnia esse superflua, nulla necessaria ad salutem : 5. Esse instituta solum ad Fidem nutriendam : 6. Nec continere, nec conferre gratiam; sed signa tantum esse gratiæ acceptæ et notas Christianæ professionis : 7. Per illa non semper conferri gratiam, licet suscipiantur rite ac sine obice : 8. Ex opere operato per ea non conferri gratiam : ad hanc obtinendam sufficere Fidem promissionis divinæ : 9. In Baptismo, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem unde illa iterari non possunt : 10. Christianos omnes habere potestatem administrandi Sacramenta : 11. In ministris non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : 12. Ministrum, peccato mortali affectum, non conficere aut conferre Sacramentum, licet omnia huc pertinentia faciat : 13. Ecclesiæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione posse contemni, omitti, aut a quocumque Pastore mutari.

Speciales Canones de *Baptismo* anathematizant eum qui dixerit : 1. Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi : 2. Aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi : 3. In Ecclesia Romana non esse veram de baptismo doctrinam : 4. Baptismum ab Hæreticis sub debita forma ac intentione collatum non esse baptismum verum : 5. Baptismum esse liberum, non necessarium ad salutem : 6. Baptizatum non posse amittere gratiam, nisi peccato infidelitatis : 7. Eundem vi Baptismi fieri debitorem

Fidei solius, non totius legis Christi servandæ : 8. Baptizatos liberos esse ab omnibus Ecclesiæ præceptis, nisi se sponte illis submiserint : 9. Vota post baptismum facta, vi factæ in illo promissionis, esse irrita : 10. Peccata post baptismum commissa, sola recordatione et Fide Baptismi suscepti dimitti aut venialia fieri : 11. Ab Apostata ad pœnitentiam converso iterandum esse Baptismum antea rite susceptum : 12. Neminem esse baptizandum, nisi sit in ætate Christi baptizati, aut in mortis articulo : 13. Parvulos, actum Fidei non elicientes, suscepto Baptismo inter Fideles non esse computandos, ideoque rebaptizandos, cum ad discretionis annos pervenerint : aut præstare Baptismum omittere, quam baptizare actu non credentes : 14. Baptizatos parvulos, ubi adoleverint, suo arbitrio esse relinquendos, si quod Patrini nomine eorum in Baptismo promiserunt, habere ratum postea nolint.

Similes canones de *Confirmatione* execrantur illum qui dixerit : 1. Confirmationem esse otiosam cæremoniam; aut olim nil fuisse aliud quam catechesin quamdam, qua adolescentiæ proximi rationem Fidei suæ coram Ecclesia exponebant : 2. Injurios esse Spiritui sancto qui sacro chrismati virtutem aliquam tribuunt : 3. Quemvis Sacerdotem simplicem esse ordinarium Confirmationis ministrum.

Sess. 8^a. De qua jam ante actum fuerat, ob contagiosum Tridenti grassantem morbum, translatio Concilii Bononiam decernitur a duabus Patrum tertiis partibus, altera tertia, ex Hispanis et Cæsareanis conflata, contradicente et repugnante. Ne renovaretur tristis scena Basileæ olim orta, prudens moderatio fecit, qua minor pars, quantumvis Tridenti permanens, a Sessionibus celebrandis abstinuit. 9^a. Ab advectis Bononiam Patribus instituta, ob Præsulum paucitatem decernit conciliarem conventum ad bimestre differendum. 10^a. Ex eadem causa Concilium in trimestre prorogatur, designat tamen proxime pertractandam Sacramentorum materiam; sed trimestris prorogatio, ut supra notatum, in quadriennem suspensionem abiit. 11^a. Editur decretum de resumendo concilio. 12^a. Editur decretum de proroganda ulterius Sessione, ob Nationis Germanicæ, cujus causa præcipue agebatur, absentiam, nec magnam cæterorum Patrum frequentiam.

Sess. 13^a. Decretum hic promulgatum exponit Ecclesiæ doctrinam de *SS. Eucharistiæ Sacramento* : 1. Post panis et vini consecrationem, Christus vere, realiter, ac substantialiter, sub illarum rerum sensibilium specie continetur. 2. Christus hoc Sacramentum instituit in sui memoriam, in spiritualem animarum cibum, in antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a mortalibus præservemur, in pignus futuræ gloriæ, et symbolum unitatis. 3. Sacramentum hoc præcellit cæteris, quod ipsum sanctitatis auctorem Christum contineat; qui statim post consecrationem, et ante usum, est præsens : vi quidem verborum ejus corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini; vi naturalis autem connexionis, qua partes Christi, jam non amplius morituri, inter se cõpulantur, anima sub specie utraque; vi demum unionis hypostaticæ, divinitas. Tantumdem est sub specie una, quantum sub altera et utraque; totus enim et integer Christus sub qualibet specie et quavis speciei parte existit. 4. Per Consecrationem fit conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et similiter vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. 5. Cultus latriæ huic Sacramento est exhibendus, cum Deus ipse sit præsens, alias